

DOCUMENTA

NOVA DISTINCTIO CIRCARIARUM.

Beatissime Pater,

Gummarus Crets, Abbas Generalis Ordinis Praemonstratensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit :

Ultimorum annorum eventibus adeo immutatae sunt conditiones diversarum Ordinis Circariarum seu Provinciarum ut Capitulum Generale nuper celebratum statuerit illarum novam descriptionem a Sede Apostolica efflagitare.

Et primo quidem humiliter petitur ut Circaria Galliae et Circaria Provinciae hucusque in Gallia existentes reducantur ad unicam Circariam Galliae, quae complectatur canonicas in Gallia superstites, cum residentis seu missionibus ad illas pertinentibus. Ratio est domorum et religiosorum post ultimam religiosorum expulsionem diminutio.

Deinde providendum videtur statui Abbatiarum in antiquo regno Austro-hungarico existentium. Etenim post bellum europaeum domus illae in varias abierunt nationes inter quas illud regnum fuit divisum, ita ut tria monasteria remaneant in actuali Austria, quinque contineantur limitibus reipublicae Cecoslovaccae, una autem supersit in hodierna Hungaria. Quare, premente peculiari modo gubernio Cecoslovaccae, proponitur : 1) Reductio circariae Austriacae ad confinia politicae modernae Austriae ; — 2) Erectio seu potius restitutio antiquae Circariae Bohemicae ad quam pertinebunt monasteria sita intra fines reipublicae Cecoslovaccae ; — 3) Conservatio Circariae Hungaricae in qua nunc una tantum restat abbatia cum tribus gymnasiis, sed ad quam nova abbatia exstruenda brevi accedet. Interea haec unica Canonica immediate subjiciatur ipsi Domino Praemonstratensi.

Tandem proponitur ut abbatia de West Depere, in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, distrahatur cum suis dependentibus a Circaria Brabantica et immediate subjiciatur Domino Praemonstratensi, donec ibi erectio novae Circariae provideri possit.

Et Deus, etc.

Ex Audientia SS.mi diei 13 Februarii 1925.

SS.mus D. N. PIUS PP.XI, referente infrascripto Card. Praefecto S. Congregationis Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae, benigne annuit pro gratia, juxta preces, servatis ceteris de jure servandis.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, die, mense et anno ut supra.

(sign.) C. Card. Laurenti
Praefectus.

NOVA STATUTA. — PRAEFATIO ILLUSTRISSIMI DOMINI GENERALIS.

Typis abbatiae Averbodiensis prodiit nuperrime prima Distinctio Statutorum sacri, candidi et canonici Ordinis Praemonstratensis, cujus praefatio sonat ut sequitur :

Ad Dei laudem, ad omnium Filiorum S. P. Norberti salutem et sanctificationem, necnon ad disciplinae regularis in Sacro ac Canonico Ordine nostro Praemonstratensi augmentum ac firmitatem, perhibemus vobis, Ven. D. D. et F. F., in hoc libello Primam Distinctionem Statutorum renovatorum Candidi Ordinis nostri.

Haec Statutorum nostrorum revisio, quae jamdudum in votis Ordinis erat et proposito, tum propter non paucarum ordinationum abrogationem vel desuetudinem, tum propter aliarum, quae in codice nostro desiderabantur, per Capitula Generalia substitutionem, nostris tandem effecta est diebus, ut obtemperaremus Apostolicae Sedis mandato Statuta nostra novo Codici Juris Canonici accommodandi.

Scitum namque est post evulgatum Codicem Juris, jussu Pii X digestum et auctoritate Benedicti XV anno 1917 promulgatum, S. Congregationem Religiosorum praecepisse, ut omnes Ordines Regulares et Congregationes Religiosae suas constitutiones ad normam hujus Codicis reviderent. Huic apostolico praescripto morem gerere volens Ordo noster, illico post pacem Europae redditam, indixit hunc in finem Capitulum Generale anno 1921 Plagae celebrandum, in quo non solum decreta est Statutorum renovatio, sed et presse determinata methodus in hoc gravi et arduo opere sequenda. Statuerunt videlicet Patres Capitulares, ut in ratione methodi adhibendae seponeretur tum presse traditionalis tum plane renovativa, et assumeretur quaedam intermedia juxta quam, dum nova juris decreta insererentur, et statuta obsoleta vel jam abrogata eliminarentur, aliave temporum necessitatibus attemperarentur, servarentur, quantum fieri posset, tenor ac forma veteris codicis Statutorum, propter venerandum ejus antiquitatem. Insuper provisum est, ut communibus consiliis, tam in orientali quam occidentali parte Ordinis commissione instituta, ab universo Ordine, schema aliquod Statutorum renovatorum, tentaminis instar, compilaretur, quod deinceps discussioni et recognitioni Capituli Generalis post triennium Teplae celebrandi substerni posset.

Verum turbatis temporibus etiam post bellum perdurantibus atque commercio usquedum permolesto inter diversas dissitasque Ordinis partes, factum est, ut intra hoc triennium nonnisi Primae Distinctionis Statutorum aliquod propositum confici, et discussioni ac approbationi Capituli Generalis anni 1924 celebrati submitti potuerit.

In prima quae hoc libello promulgatur Distinctione Statutorum agitur de primaria ac formali ratione vitae religiosae, nempe de Observantiis regularibus. Hae vero sunt vel generales seu communes, quatenus eas communes habemus cum aliis regularibus et etiam cum clericis; vel sunt propriae seu specificae, quatenus specialiter nobis imponuntur qua Praemonstratensibus. Priores pleraeque desumptae sunt e novo Codice Juris Canonici, posteriores vero mutatae sunt cum opportunis quandoque attemperamentis ex antiquis nostris Statutis vel ex recentioribus Capitulis Generalibus.

Hic porro codicillus, complectens Observantias nostras regulares et constituens Primam Statutorum Distinctionem, discussioni et approbationi subjectus

est nuperi Capituli Generalis Teplae anno 1924 celebrati, et ab eodem per singulos numeros recognitus et approbatus.

Idem Capitulum sess. V. mandavit, ut haec Prima pars Statutorum, etiam nondum absolutis aliis Distinctionibus, prelo subiceretur, atque statuit illam post impressionem et publicationem pro sodalibus Ordinis vim obligatoriam habere. Item decretum est ut in proseguendo opere revisionis eadem methodus quam in prima adhiberetur quoque in tribus aliis distinctionibus.

In harum prima, seu in Secunda Distinctione Codicis nostri, determinabitur et describetur Ordinis nostri regimen seu gubernium, imprimis Ordinis universi, tum particularium circariarum, ac tandem singularum specierum domuum, quarum etiam mutuae relationes ad invicem, praesertim ad domus matricem et filiales, definientur.

Tertia dein Distinctio exponet disciplinam, quae non tam concernit communiter omnia Ordinis membra, quam particulares species membrorum, puta: varios Superiores et officiales, lectores et alumnos, simpliciter professos et novitios, conversos, donatos et moniales. Hisce addentur quae statuenda videbuntur circa tertium Ordinem nostrum, tam regularem quam saecularem.

Quarta tandem Distinctio tractabit de variis mediis occurrendi neglectui ac violationi observantiarum Ordinis, scilicet de variis poenis, de judiciis et similibus.

Hisce praehabitis, nil restat quam ut omnes dilectissimos Confratres, tam Superiores quam inferiores, rogemus et obsecremus in Domino, ut hoc parvum volumen observantiarum nostrarum pervolvere et saepius manibus versare velint; praesertim vero ut bono animo hanc disciplinam Ordinis nostri recipiant et observent, neque dimittant legem matris nostrae, Praemonstratensis Religionis, quae nos erudit ac manuducit per has constitutiones suas, quatenus gratia animabus nostris et decus nostro Ordini addatur. Sanctus interim Pater Norbertus, Fundator noster, qui instituti a se Ordinis providentiam non reliquit, ut hoc praestemus, a Deo per intercessionem Gloriosae et Immaculae Virginis Mariae necessaria deprecabuntur auxilia, quibus experiri nobis aliquando detur, ut ait S. P. N. Augustinus, "nostram obedientiam legibus esse virtutem Deum promerendi in aeternum". Amen.